

nihil sibi usurpans, nihil vindicans, et quodammodo intra vires suas contractior, dives est apud Deum, apud quem nemo dives. Dives est modestia, quia portio Dei est. Paulus quoque orationem deferri praecepit cum verecundia et sobrietate. Primam hanc et quasi praeiviam vult esse orationis futurae, ut non gloriatur peccatoris oratio: sed quasi colore pudoris obducta, quo plus defert verecundiae de recordatione delicti; eo uberiolem mereatur gratiam. Est etiam in ipso motu, gestu, incessu, tenenda verecundia. Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior: aut contra gravior, et constantior, et purior, et maturior aestimatur. Itaque vox quaedam est animi, corporis motus. Meministis, filii, quemdam amicum cum sedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen in clerum a me non receptum, quod gestus ejus plurimum dedecret. Alterum quoque cum in clero reperissem, jussisse me ne unquam praeiret mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos. Idque dixi, cum redderetur post offensam muneri. Hoc solum excepi. Nec fefellit sententia. Uterque enim ab Ecclesia recessit: ut qualis incessu prodebat, talis perfidia animi demonstraretur. Namque alter Arrianae infestationis tempore, fidem deseruit; alter pecuniae studio, ne iudicium subiret sacerdotale, se nostrum negavit. Lucebat in illorum incessu imago levitatis, species quaedam scurrarum percursantium. Sunt etiam, qui sensim ambulando imitantur histrionicos gestus, et quasi quaedam fercula pomparum, et statuarum motus nutantium, ut quotiescunque gradum transferunt, modulos quosdam servare videantur. Nec cursim ambulare honestum arbitror, nisi cum causa exigit alicujus periculi, vel justa necessitas. Nam plerumque festinantes angelos videmus torquere ora, quibus si causa desit festinationis necessariae, naevus est justae offensionis. Sed non de his dico, quibus rara properatio ex causa nascitur, sed quibus